



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1100. Usque Ad Annum 1143

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1762

VD18 90117999

§. 3. Concilium Ansanum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66385](#)

Divinum Numen avertit tantum nefas. Sæculum XI.
 Nam Bœmundo quindecim diebus, prius A.C. 1100.
 quam Godefridus e vita decederet, a
 Turcis capto, cum Balduinus Jerosoly-
 mam advenisset, Daimberto Patriarchæ
 reconciliatus est, Arnulpho Archidiacono
 frustra contra nitente, qui pridem Digni-
 tatem Patriarchalem ambierat, vir opi-
 bus & callido ingenio potens. Tandem
 Balduinus a Daimberto Bethlehemi, in
 Festo Natalis Domini, eodem anno mil-
 lesimo centesimo coronatus, Regnum
 auspicatus est, quod annis septendecim
 tenuit.

§. III.

Concilium Ansanum.

Hugo Archiepiscopus Lugdunensis, Je-
 rosolymam peregrinaturus, ad Pa-
 pam Legatos misit, qui licentiam pete-
 rent. Annuit Papa præcipiens, ut iter *Chro. Vird.*
 suum Romam dirigeret, ubi Legati in p. 254.
Asia potestatem acciperet, qua hactenus *to. 10. Conc.*
 in Burgundia digne usus fuisset. Roga- p. 726.
 bat etiam Hugo, ut Legatos mittendos
 mandatis suis accurate instrueret. Istud *Sup. lib.*
 de duobus Cardinalibus Joanne & Bene- *LXIV.*
 dicto, qui hoc anno in Franciam vene- §. 21.
 runt, accipendum esse puto. Nunciis
 cum illo Papæ responso in Burgundiam
 reversis Archiepiscopus Lugdunensis Suf-
 fraganeos & Clericos suæ Diœcesis con-

Sæculum XI. vocavit, a quibus viaticum peteret, ea
 A.C. 1100. quippe maxime de causa Synodum An-
 sanam coegit anno millesimo centesimo,
 cui interfuerunt Archiepiscopi quatuor,
 Lugdunensis, Cantuariensis, Turonensis,
 & Bituricensis, Episcopi octo, Augus-
 tunensis, Matisconensis, Cabilonensis,
 Antissiodorensis, Parisiensis, Diensis &
 alii duo. Statuta pace (nempe ut cre-
 do Induciis Sacris confirmatis) de itine-
 re Jerosolymitano agere cœperunt, &
 illi, qui voverant, nec tamen votum ad-
 impleverant, excommunicati sunt, usque
 dum promisso se exsolverent.

§. IV.

S. Anselmus Lugduni.

Archiepiscopus Cantuariensis, qui Con-
 cilio Ansano interfuit, erat S. Ansel-
 mus, quem rerum suarum status jam uno
 plus anno Lugduni morari cogebat.
Edmer. 2. Nam, Concilio Romano mensis Maji an-
Novor. p. 55. ni millesimi nonagesimi noni soluto, An-
 selmus, cum parum præsidii in Papa sibi
 esse cognosceret, altera die itineri se de-
 derat, & superatis multis periculis tan-
 dem Lugdunum pervenerat, quem Ar-
 chiepiscopus editis maximæ lætitiae ho-
 norisque signis exceptit. Ibi igitur di-
 versari statuit, abjecta omni spe, se Rege
 Guilielmo Rufo superstite, in Angliam
 redire posse. Archiepiscopus Lugdu-
 nensis

Sup. lib.
LXIV. §.
 61.